

su si intendit habere lucrum & non damnum, usura est, ut ait S. Bernardinus serm. 39. ser. 6. post Dom. 4. Quadrage. Pontas.

NOTA. In casu præcedente ostensum est, hunc palliatum Societatis contractum habere re ipsa rationem mutui. Cum ergo etiam ratione periculi census juxta communem doctrinam exigí possit, non debuit ab autore hic contractus absolute condemnari tanquam usurarius. Vide *Mutum*.

CASUS VII. Nicander inivit societatem cum Pamphilo, qui tantum suum laborem & industriam, Nicander vero 4000. florenos contulit ea lege, ut Pamphilo certa quædam summa pro parte lucri e societate emerfual affecuratur. An id licet?

R. In præfenti casu, cum non adfit æqualitas lucri vel damni, non datur vera societas, sed potius contractus locationis, nimirum *locatio operarum*, qua Pamphilus suam operam locat Nicandro, quod utique nec injustum nec illicitum est; dummodo omne periculum fortis & depositæ pecuniæ in se suscipiat Nicander. Pontas.

CASUS VIII. Emanuel præfetur cujusdam novæ manufacturæ a Margaretha 5000. florenos mutuos accepit pro suo commercio; cum vero Margaretha adverteret, nullum e sua pecunia redundare fructum, Emanuelem rogat, ut aut restituat summam, aut in societatem se recipiat. Emanuel illam admittit in societatem hac lege, ut periculum fortis subeat juxta proportionem summæ 5000. florenorum. Margaretha acceptata hac conditione se verum societatis membrum esse credit; interim tamen aliquo angitur serapulo ex eo, quod Emanuel cum suis sociis determinavit certam summam 600. florenorum, quam ipsa singulis annis lucri loco evitandæ computationis gratia recipiat. Potestne Margaretha recipere istam summam tuta conscientia vi factæ conventionis?

R. Si Margaretha tenetur omne, qualecunque demum sit, periculum subire juxta proportionem collatæ summæ, societas legitima est, & potest recipere dictam 600. florenorum summam. Ast si vi contractus solum teneatur in se suscipere pericula particularia determinata, ut forent v.g. revocatio privilegii, bellum, erectio similis manufacturæ in vicinia &c. tunc societas injusta esset & illegitima: essentialia enim est contractui societatis, ut omnes socii suscipiant omnia pericula, & participant de quolibet damno juxta proportionem fortis in fundum societatis collatæ, ita ut lucrum alia ratione obtentum esset usurarium. Quod attinet lucrum certum annuatim determinatum ad 600. florenos cum

cum consensu partium, id Margaretha tuta conscientia percipere potest ad evitandam molestam rationum discussionem: lucrum enim majus quidem, sed incertum absque injuria reduci potest ad minus, certum tamen. Pontas.

CASUS IX. Gosselinus & Andreas in'erunt in commercio frumenti & vini societatem, collata utrinque æquali pecuniæ summa hac lege, ut Gosselinus duas tertias lucri ex frumento facti referret, & solum unam tertiam damni ex commercio vini emergentis ferret. An iste contractus justus est? An Gosselinus non tenetur restituere Andree?

R. Licitus est hic contractus: liberum est enim membris societatis convenire de hoc, ut unus eorum majus lucrum & minus damnum quam alter referat; quod tamen ita intelligi debet, ut Gosselinus sibi majorem partem lucri attribuere non possit, nisi ex eo, quod deductis damnis ex utroque commercio emergentibus residuum fuerit. *Sæpe*, inquit Imperator §. 2. Instit. Lib. 3. Tit. 26, quorundam ita pretiosa est opera in societate, ut eos justum sit conditione meliore in societatem admitti. Quod tamen ita intelligi oportet, ut si in alio re lucrum, in alia damnum illatum sit, compensatione facta, solum quod superest, intelligatur lucro esse. Et ut habetur Leg. *Mucius* 30. ff. Lib. 17. Tit. 2. Neque enim lucrum intelligitur, nisi omni damno deducto. Pontas.

CASUS X. Oldradus, Antonius, Gabriel & Bernardus societatem inter se in'erunt, cujus finis est exficatio cujusdam paludis. Verum Oldradus ad instantiam suorum sociorum ultra portionem jam cum reliquis in societatem æqualiter collatam anticipato obtulit summam 7500. florenorum hac conditione, ut intra annum sibi hæc summa restitatur. Ast cum Antonius finito anno solvendo non esset, Oldradus solutionem ex fundo communi petit; reliqui vero se opponunt. Quid juris?

R. Petitio Oldradi justa est; nam, cum pro bono communi societatis præfata summam anticipato obtulerit, quilibet sociorum tenetur juxta suam portionem indemnem reddere Oldradum; & si, dum unus eorum solvendo non est, totalem summam recipere non possit, id; quod deest, ex ipso fundo societatis jure exigere potest. Hinc priusquam Gabriel & Bernardus lucrum ex societate percipiant, Oldrado solvenda est summa 7500. florenorum, & postea, quod superest, dividendum inter ipsum, & duos reliquos. Leg. *Si unus*. 67. ff. Lib. 17. Tit. 2. Pontas.

CASUS XI. Florus gemmarius societatem inivit cum aliis quatuor ejusdem professionis viris, quorum quilibet in

fundum societatis conferebat gemmas 5000 florenis aestimatas. Eidem Floro a suis sociis commissum est, ut in Hispaniam proficiscatur, & ibidem cum dictis gemmis negotiaretur, ut ipsi visum & societati proficuum fuerit. Florus in Hispania duobus mercatoribus Hispanicis vendidit aliquas gemmas pro 12500 florenis; verum loco solutionis accepit schedam cambialem, pro qua intra quatuor menses ipsam pecuniam sit recepturus. Ast elapsis duobus mensibus dicti mercatores non amplius fuerunt solvendo. An hanc jacturam Florus sufferre debet?

ꝑ. Si duo mercatores Hispani noti fuerunt aliis ejusdem professionis mercatoribus Hispanicis, & etiam Florus de eorum bona fide dubium non habuit, ac eos solvendo esse credit, jactura 12500 florenorum non ab ipso solo, sed ab omnibus sociis ferendum est juxta proportionem summae, quam singuli in societatem contulerunt. Magistris societatum pactum & prodesse & obesse constat. Leg. Item. 14. ff. Lib. 2. Tit. 14. Pontas.

CASUS XII. Lombardus cum Jacobo inivit societatem negotiationis, & Jacobus consentiente Lombardo profectus est in Galliam pro communi societatis bono; in ipso autem itinere spoliatus, & una cum suo famulo vulneratus est. Potestne compensationem damni a suo socio ex ipsa in societatem collata summa exigere?

ꝑ. Jure potest exigere indemnificationem; quia in negotiis societatis damnum isthoc accidit. Leg. Cum duobus. 52. §. 4. Lib. 17. Tit. 2. Notandum tamen 1. Quod hic soium agatur de pecunia communi societatis, aut destinata ad expensas societatis: si enim Jacobus pro suis privatis commodis ac usibus pecunias secum tulisset, earum jactura ipsi soli ferenda esset. 2. Ad hoc, ut pecunia censeatur pertinere ad societatem, non sufficit eam solum destinatum fuisse ad fundum societatis; sed requiritur, ut ea actu in societatem fuerit collata. Sic habetur Leg. Si id. 58. §. 1. ff. ibid. Pontas.

CASUS XIII. Guarinus & Aegidius ad quatuor annos inierunt societatem circa negotiationem vini. Cum vero Guarinus pro bono communi societatis in varias provincias ad emendum vinum profectus esset, durante absentia domi in rebus familiae suae privatis passus est damnum 600. florenorum. An hoc damnum ipsi resarciendum ex fundo societatis?

ꝑ. Negative; quia ejusmodi eventus nulla ratione tangunt societatem, sed inter privata Guarini negotia pertinent; & consequenter Aegidius ad nullam ipsi compensationem tenetur. Non consecuturum pro socio actione. Labeo ait; quia id

non

non in societatem, quamvis propter societatem, impensum sit... nam nec compendium, quod propter societatem ei contigisset, veniret in medium; veluti si propter societatem haeres fuisset institutus, aut quid ei donatum esset. Leg. Socium. 60. §. 1. ff. Lib. 17. Tit. 2. Pontas.

CASUS XIV. Fabricius cum aliis quinque societatem inivit; cum vero navis mercibus onusta exoneranda esset in aliam naviculam, ut eo facilius portum attingeret, merces Fabricii huic naviculæ impositæ casu fortuito, & improvise periere. An Fabricius solus hanc jacturam ferre tenetur?

ꝑ. Cum exoneratio facta sit in commune bonum societatis, jure exigere potest, ut ab omnibus sociis feratur jactura mercium. Leg. Navis. 4. in it. ff. Lib. 14. Tit. 2. Pontas.

CASUS XV. Radulphus in commercio sociali constitutus cum Samfone per imprudentiam, quæ tamen in jure solum culpa levis dicitur, notabile in negotiatione damnum passus est. An id etiam Samsoni ferendum est?

ꝑ. In contractu societatis, si quis committat culpam, sive levem sive latam, ex qua societati damnum inferitur, hic solus tenetur reparare damnum; & hinc Radulphus tuta conscientia non potest adstringere Samsonem ad ferendam partem damni. Culpa autem, ait Justinianus Instit. Lib. 3. Tit. 26. §. 9. non ad exactissimam diligentiam dirigenda est: sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet. Pontas.

NOTA. Theologicæ non est idem culpa lata, & levis. Socius ex levi culpa non tenetur in foro interno ferre totum damnum. Vide Notam ad casum seq.

CASUS XVI. Paulus socius Andreæ in quodam commercio sua negligentia societati intulit damnum 150. florenorum; quapropter Andreas ab illo petit, ut resarciat damnum. Paulus vero contendit, se societati sua industria lucratum fuisse alias 1000. florenos, quorum dimidia pars cedit Andreæ. An Andreas jure a Paulo exigit, ut solus damnum 150. flor. ferat?

ꝑ. Jure potest id exigere a Paulo etiam non obstante lucro 1000. florenorum; quilibet enim sociorum tenetur in tantum promovere bonum societatis, in quantum potest, nec potest exigere ullam compensationem damni sua culpa illati. Non ob eam rem, L. Non ob eam. 25. ff. Lib. 17. Tit. 2. minus ad periculum socii pertinet, quod negligentia ejus perisset, quod in plerisque aliis industria ejus societas aucta fuisset: Et hoc ex appellatione Imperator Antoninus pronuntiavit. Idem statuitur Leg. 26. ibid. Pontas.

H h 2

No-

NOTA. In foro interno non datur obligatio ferendi totum damnum illatum ex culpa levi: neque enim Sociorum quis se ad hoc ultro adstringeret. Leges Romanae, praesertim digesta, nec vigerunt in Germania ante annum 1500. ac modo vix ullibi amplius videntur: & ubi pro foro externo videntur, in similibus casibus disponunt solum ex praesumptione gravioris culpae, vel poenalter ad aliorum cautelam in futurum.

CASUS XVII. Tres mercatores, quos inter societas est, emerunt bona mobilia cujusdam defuncti, ac horum partem privatim variis vendiderunt personis; Medericus vero, unus sociorum, advertens talem venditionem istorum bonorum non fore valde proficuum societati, magis conveniens esse credidit, si a Magistratu licentiam dicta bona publice vendendi, ac per modum inventarii publicandi obtineret, & id etiam factum est videntibus & scientibus suis sociis. Verum venditione peracta emerit damnum societati, & hoc a solo Mederico ferendum esse contendunt ipsius socii, cum istius venditionis author fuerit. An jure id exigunt?

g. Membrum societatis in rebus societatem attingentibus nihil potest agere, nisi in illud consenserint etiam reliqua membra. Sabinus ait, in re communi neminem dominorum jure facere quidquam invito altero posse. Unde manifestum est, prohibendi jus esse: in re enim pari potiore causam esse prohibentis constat. Leg. Sabinus. 28. ff. Lib. 10. Tit. 3. In praesenti igitur casu cum venditionem publicam, cujus author Medericus erat, reliqui socii, dictae venditionis perfectam notitiam habentes, non inhibuerint, damnum, quod emerit, ab omnibus ferendum est: regula enim juris est: Qui tacet, consentire videtur. Socii ergo Mederici absque injuria non possunt in eum solum transferre damnum ex venditione publica ortum. Pontas.

CASUS XVIII. Lambertus villam suam, in qua quatuor equos, sex boves, decem vaccas, & 400. oves habet, locare aut in societatem conferre cogitat. Henricus igitur, ut villam recipiat, convenit cum Lamberto, se solum villam conducturum, & annuatim pro ea 400. florenos pro annuo censu soluturum hac conditione, ut ad certum tempus cuncta pecora in villa relinquuntur, quo temporis termino elapso iterum Lamberto restituantur in eodem valore, quo nunc aestimata sunt. An Lambertus adjectam conditionem acceptare potest absque usura?

g. Non potest acceptare absque usura; nam talis conventio haberet rationem mutui, & Lamberto permaneret dominium pecorum, quin subire vellet periculum sortis, quod tamen subeundum est, ubi vera datur societas. Discrimen est

est inter equum locatum, & pecus alteri ad aestimationem concessum: pro equo enim locato, qui per usum deterioratur, potest exigi aliquis census, pecus vero ad aestimationem concessum nunquam perit concedenti. Pontas.

NOTA. Hic contractus, nisi excedatur in annuo censu, juxta prudentum aestimationem, non est usurarius. Author inter justos titulos pro censu non admittit periculum sortis, quod tamen Lambertus subit, si Henricus ex infortuniis, vel negligentis redigeretur ad impotentiam restituendi praedium in statu pristino.

CASUS XIX. Lentulus ad tres annos concessit cuidam conductori 500. oves & 20. vaccas hac conditione, ut elapsis tribus annis haec pecora restituantur juxta aestimationem prius factam, aut eorum loco solvat pretium, interea autem singulis mensibus pendat certam quantitatem lactis, casei, & lanæ. An hic contractus licitus est?

g. Certum est, contractum societatis, qui dicitur reditio bestiarum, esse injustum, si taliter concedens pecora nulum sortis periculum in se recipiat. Hinc Lentulus non potest licite exigere quidquam de lacte, caseo, & lana, neque aliud quidquam, nisi praebere partem pro dictis pecoribus; tunc enim pro praestito partu justum pretium possit recipere ab alio. Pontas.

CASUS XX. Genucius concessit Thierio sex boves, duodecim vaccas, & triginta porcos pro colendis suis agris, hac addita conditione, ut ista animalia alat, curet, & sub tecto conservet, ac insuper dimidiam partem partuum restituat. An haec societas usuraria est?

g. Ut hic contractus non sit usurarius, requiritur ad haec tertia conditio, scilicet ut Genucius in se suscipiat periculum pecorum: per hoc enim verus erit contractus societatis. Pontas.

CASUS XXI. Appius dedit Benedicto, agricolae, titulo societatis duodecim vaccas, sex equos & 400. oves hac conditione, ut Benedictus in se solum recipiat horum periculum, & tempore societatis elapso restituat eundem numerum, aut pretium pecorum juxta aestimationem; Appius vero promittit, se illi maius lucrum cessurum, quam alias ipsi vi societatis competeret. An iste contractus licitus est?

g. Non reperitur hic contractus societatis, sed verum mutuum, ex quo Appius lucrum sibi quaerit, quod est usurarium. Pontas.

NOTA. Vide notam ad cas. 18.

CASUS XXII. Desiderius dedit Philiberto sex boves ad quinquennium sub his conditionibus. 1. Ut in se recipiat horum periculum, quod aut ex incursione hostis, aut a fulmine, aut morbis istis animalibus propriis evenire possit. 2. Ut Philibertus alios eventus in se suscipiat, & teneatur alere, curare, & custodire boves, ac si ipsius essent. 3. Ut perfecta messe tot tradat modios tritici, quot sunt boves, quorum modiorum quilibet pretio 6. florenorum æstimabilis sit. 4. Ut elapso quinquennio dicti sex boves vendantur, & eorum pretium in duas æquales partes inter se dividatur. Quid de hac societate dicendum?

ꝑ. Prima & secunda conditio hunc contractum reddunt illicitum; nam locans solus tenetur subire quodcumque periculum bouum sine notabili culpa conductoris emerfurum. Verum ut utriusque, Desiderii, & Philiberti obligatio magis perspicitur, notandum. 1. Quod in præsentis casu duo contineantur contractus, nimirum venditionis & locationis; in contractu venditionis emptor acquirit quovis anno quintam partem pretii bouum, & in contractu locationis locans locatario locat totum pretium bouum usque ad finem primi anni, quo finito locatarius fit dominus quintæ partis pretii bouum, & sic annuatim juxta proportionem. 2. Quod dominium rei venditione transferatur ad emptorem, quod tamen in locatione non fit. Desiderius igitur ut locans tenetur subire omne periculum bouum, quod absque fraude aut dolo evenit, excepto tamen eo, quod Philibertus acquisivit, nimirum quintam partem pretii bouum finito primo anno, & etiam deinceps juxta proportionem. Denique contractus, de quo hic agitur, etiam ex eo injustus est, quod Desiderius nimium recipiat lucrum. Verum ut æquum de tali lucro ferri possit iudicium, consulendi sunt illi, qui in hac materia experientiam majorem habent. *Pontas.*

CASUS XXIII. Ladislaus vir opulentus inicit societatem animalium intra tres menses inchoandam cum Servatio agricola ad quinquennium, & inter se convenerunt, ut quilibet in societatem conferat decem boves aut vaccas & 500. oves. Verum constituto tempore Servatius suam partem conferre non potuit; hinc Ladislaus solus contulit 1000. oves & 20 boves aut vaccas hac tamen conditione, ut dimidia pars pecorum, quæ mutuo dedit Servatio, & ipsa etiam pecora, quæ ipse in societatem contulit ab expertis æstimentur. Servatius acceptavit hanc conditionem, ac insuper cum Ladislao in hoc convenit. 1. Ut ipse nutriat, & curet pecora, ac ipsis de tecto provideat. 2. Ut in huius compensationem recipiat omne hæc, & ex eo factum hu-

ty-

tyrum, uti & finum. 3. Ut partus animalium ad finem societatis æqualiter dividantur. 4. Ut damna ex neutrius culpa eventia ab utroque æqualiter ferantur. 5. Ut ante divisionem partuum Servatius restituat 500. oves & decem boves aut vaccas juxta æstimationem ab initio societatis factam, ac dein lucrum, quod supererit, æqualiter dividatur. An hic contractus usurarius?

ꝑ. Est legitimus, & ab omni usura immunis, posito quod mutuum Ladislai bona fide sit factum: lucrum enim, quod Ladislaus recipit, non est præcise ex mutuo, sed ex propriis suis pecoribus; hinc Ladislaus usuram haud commisit. *Pontas.*

CASUS XXIV. Paternus locat Clementi sex vaccas & sex equos ad triennium hac conditione. 1. Ut primo anno Paternus omne periculum aut damnum absque culpa Clementis eventurum in se recipiat. 2. Ut reliquis duobus annis Clemens ferret omne damnum etiam absque culpa eventurum. 3. Ut Clemens in compensationem suæ obligationis iisdem duobus posterioribus annis recipiat duas tertias lucri. An hic contractus est licitus, si consuetudo generalis cujus provincie ipsi patrocinetur, ac etiam in tribunalibus approbetur?

ꝑ. Certum est, hunc contractum esse usurarium, cum Paternus omne per duos posteriores annos eventurum damnum in Clementem transferat. Paternus enim, penes quem dominium remanet, sufferre debet etiam omne damnum solus. Paternum quoque neque cessio lucri excusat ab usura, neque etiam immunem reddit consuetudo provincie, aut authoritas tribunalium. *Pontas.*

NOTA. Vide notam ad *Caf. 18.* Sciendum, etiam Pontasium inter titulos in mutuo excusantes ab usura non admisisse periculum fortis.

CASUS XXV. Valerianus dedit Paulo titulo societatis quædam pecora ad sexennium hac conditione. 1. Ut Paulus ea nutriat, & de eis necessariam curam habeat. 2. Ut det singulis annis quatuor modios tritici pro quovis pecore. 3. Ut Paulus recipiat duodecimam partem gregis per sex annos, & denique finito sexennio pecora, & eorum partus æqualiter dividantur. An hæc societas licita?

ꝑ. Hic contractus est societas mixta, conjuncta nimirum cum venditione, & est licitus, si has tres condiciones habeat. 1. Damnum absque culpa socii eveniens ferendum est domino pecorum. 2. Socius in curandis ac conservan-

H h 4

dis

dis pecoribus, ac computatione lucri fidelem se exhibeat.
3. In divisione lucri servetur justitia. *Pontas.*

CASUS XXVI. Sylvanus contulit 400. oves in societatem, quam cum Roberto agricola observatis omnibus ad veram societatem requisitis conditionibus inivit. Robertus vero ad finem societatis indicat Sylvano, 20. oves periisse quodam morbo, & Sylvanus contendit, eas periisse ex culpa Roberti. Quomodo hæc contentio componenda?

3. Roberto incumbit probatio, quod oves ex sua culpa non perierint; & si hoc probare nequit, Sylvanus tuta conscientia illum adstringere potest ad solvendum pretium ovium, quæ periere. *Pontas.*

NOTA. Author supponit, in contractu societatis dominium pecorum & eorum periculum transisse ad societatem. Sed hoc dependet a particulari intentione contrahentium.

CASUS XXVII. Barnabas cum tribus opificibus inivit societatem; horum vero unus mortuus est. An per hoc solvitur societas?

3. Solvitur per mortem socii societas; nisi superstites socii eam continuare velint. *Leg. Actione. 65. §. 9. Lib. 17. Tit. 2.* Idem quoad hoc effectus est mortis civilis ac naturalis. At aliud dicendum foret de locatore aut conductore mortuo. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Patritius & Romanus in societatem, quam inter se inierunt, uterque 1000. imperiales contulerunt. Patritius vero anno ante finitam societatem mortuus est; hinc Romanus advertens negotium societatis hand ita prospere geri, præterdit, hæredem Patritii debere in societate succedere, quod tamen ipse recusat. Quid juris?

3. Hæres Patritii non tenetur continuare societatem, utpote illius morte solutam. Excipiendus tamen ab hac regula casus, quo duo associati forent ad percipienda tributa Principi debita: in hoc enim casu hæres defuncti socii teneretur continuare societatem. *Pontas.*

CASUS XXIX. Galerius & Sylvius inter se inierunt societatem in commercio lanæ, atque convenerunt, ut societas etiam uno ex ipsis mortuo continueretur. Galerius post sex menses mortuus est. An ipsius hæredes, etiam invit, ad continuandam societatem tenentur? aut si isti vellent continuare societatem, an etiam Sylvius eam continuare tenetur contra voluntatem suam?

3. 1. Contractus societatis non potest subsistere, nisi adsit consensus contrahentium, qui se ipsos mutuo eligere,

ac

ac gratos invicem habere debent. 2. Hæredes socii defuncti non succedunt in societate. 3. Etiam si inter socios conventum fuerit expresse, ut uno eorum mortuo continueretur societas ab hærede, hæc conventio tamen non obligat neque socios superstites, nec hæredes defuncti socii ad continuationem societatis: His ex principiis patet resolutio hujus præsentis casus. *Pontas.*

CASUS XXX. Eutropius & Valerianus inierunt contractum societatis sub his conditionibus: 1. Ut Eutropius in eam conferat 5000. florenos, Valerianus vero suam duntaxat industriam, curam & laborem. 2. Ut periculum & expensæ necessariæ utrique sint communia, & æquale uterque recipiat lucrum, feratque æquale damnum. Verum Eutropius negotiationis Valeriani penitus ignarus verebatur, ne sibi damnum eveniat; hinc petit ab eo assecurationem factorum, quos contulit, 5000. florenorum, & promittit, se ipsi in compensationem periculi, quod in se solum recipiat, tres partes lucri cessurum. Brevi post idem Eutropius totum lucrum, quod decem pro centum fore sperat, incertum tamen, vendit Valeriano, dummodo solvat quinq; pro centum; quin deinde Valerianus rationem reddendam habeat computationis, expensarum, & lucri. Valerianus acceptavit, quidquid Eutropius proposuerat, & sic Eutropius singulis annis lucri loco recipit 250. florenos, ac insuper assecuratam habet suam partem fortis, quocumque demum successu societas continueretur. Valerianus autem, qui nullam pecuniam in societatem contulit, habebit lucrum valde probabiliter 15 aut 20. florenorum pro centum. An in hoc contractu non datur usura?

3. Hæc ipsa societas est coalitio trium contractuum, ut vocant, in unum redactorum, cujus injustitiam Sixtus V. condemnavit sua Bulla 1586. in Bulla de 1. Oct. 1586. ubi generaliter sine exceptione aut distinctione declarat usurarias omnes conventiones, pactiones & contractus, vi quorum præstatur cautio summæ capitalis iis, qui pecunias suas, aut alias res sub prætextu societatis tradunt. Consequenter Sixtus V. etiam omnes eos cond-mnat, qui secundo aliquo contractu cautionem fortis principalis præstant iis, qui societatem secum inierunt, & revera in præsentis casu secundus & tertius contractus penitus primum contractum societatis destrunt; cum societas non possit dari, si socii non participant de lucro simul & damno. Ex his igitur sequitur, Eutropium assecurationem summæ a se collatæ habentem, ac lucrum 5. florenorum pro centum percipientem, quodcumque demum damnum Valeriano obveniat, non ti-

H h 5

tulo